



TRACTUUM BORUSSIAE
circa Gedanum et Elbingam
ab incolis WERDER appellati
cum adiuncta NERINGIA
nova et elaboratissima
delineatio
Auctore Olao Ioannis Gotho

Scala 1800 Ruthen oder
Milliare comm. Prussicum

Marienburg
Flakowische
Niederung
Hoch Land
Anstodami Excud. Ioannes Langsonius.

DESCRPTIO TRIVMINSVLARVM.

Germanicè

W E R D E R,

In

DUCATU BORUSSIÆ.



Elbingensis
Insula.

Res hæ tractus Borussia Insulæ, juxta se invicem sitæ, circa Gedanum & Elbingam visuntur, haud procul à Baltico Mari.

Prima Insula ab Elbinga Elbingensis, vel à Fischaw Fischaviensis nuncupatur, eo quod Fischaw & præcipuè Elbinga, urbs inter maritimas hujus orarum primas tenens, in eâ sedem habeat.

Mariebur-
gensis aut
Maxima
Insula.

Hanc sequitur maxima harum Insularum, Marieburgensis dicta, inter minores duas media, juxta benè ædificatam; Urbem Marieburgum, seu Margenburgum, ad amnem Negat exstructam. Hic amnis unum latas hujus territorii alluit, ad alterum procurrit Vistula prono & rapido cursu Gedanum petens. Insula hæc pulcherrimâ Sylvâ insignis est variisque arborum generibus resecta, unde magnam utilitatem & materiam struendis ædificiis sibi incolæ comparare possunt. Haud procul hinc distat Elbingensis illa Sylva, prope Elbingam, unde cæduntur altissimæ abietes, quæ malis navium conficiendis in longinquas regiones exportantur & divenduntur. Hanc terram in meditullio intersecat Tya, amnis multo pisce abundans.

Dantiscana
Insula.

Moddela.

Sylva
Grebuis-
kensis

Tertia Insula seu Werder, Dantiscana seu Genensis nuncupatur prope ad urbem sita, & pro minima censetur, quemadmodum & reverà, aliis collata, minor meritò reputatur. Ab uno latere Gedanum versus excurrit Moddela fluvius, qui tandem in Vistulam se exonerat. In medio ferè hujus territorii jacet pulchra & jucunda illa Sylva Grebuiskenensis dicta, ubi omnia lignorum & tignorum genera ad ædificandum cæduntur.

Tres hæ supra memoratæ Insulæ, quamvis soli sint planioris & æquioris, indolem tamen & naturam Hollandiæ præ se ferunt, eo quod multis fluminibus & rivulis intersecantur & irrigantur. Pascuis gaudet tam opimis & tantâ copiâ butyri & casei agrisque, tantam vim frumenti ferentibus, ut inde multa millia homi-

num victum sortiantur: solum est naturâ pingue, & pomariis, hortis & omni generi gratissimorum fructuum ferendo apprimè conducens.

Præcipui hujus tractus fluvii sunt Vistula & Nogat. Nogat est ramus Vistulæ duobus fere milliaribus supra Dirschoviam oriundus, qui Marieburgensem ab Elbingensi Insulâ dispe- scit. Vistula Dirschoviam præterlabitur & fertur Dantiscum versus: Duobus supra Dantiscum milliaribus rursus in duo brachia se diffindit, quæ ambo Vistulæ nomen retinent: sinistrum brachium juxta Dantiscum præterfluit, & dimidio circiter milliari ab urbe, in Mare Balticum se immergit, ubi duo valida Castella tutando fluminis ostio extructa, visuntur. Dextrum verò brachium in Orientem fertur, multos amænissimos hortos percurrans, & in diversos rivos se diffindens antequam in Mare se præcipitet.

Quò loci se Vistula, duobus ferè supra Dantiscum milliaribus, dispefcit, eò Gustavus Adolphus, Rex Sueciæ, ad summam crepidinem seu oram terræ curavit sibi extrui validissimum Castellum seu Fortalitium, unde omnia navigia, quæ in Vistula Dantiscum versus ferebantur, ad ingentis tributi seu vectigalis persolutionem coëgit; quo factò magnum tam mercatoribus, quam Vrbi detrimentum dedit. Tandem inito cum eo contractu, spinam quæ eorum pedibus hærebat, avulsit: ita tamen, ut parum inde utilitatis ad ipsos redundarit.

Nerungia est terræ ora oblonga & teres, à Dantisco juxta littus maris Baltici ad Vistulam & Frischen-haviam, seu pulchellum portum, usque protensa diversis in locis non ultra semimilliare; & ubi latissima, tres quartas unius milliariis latitudine complectitur. Vix ullæ in ea Sylvæ præter abiegnas, unde incolis ingens lucrum exurgit, vendendis lignis inde excisis. Situs fluminum & portuum marinorum præfatis tribus Urbibus earumque habitatoribus admodum opportunus est, & vehendis huc illuc omnis generis mercibus pereommodus.